

Prot. n. 48837/14 CA

Competentiae

(Rev.dus X – Congregatio pro Institutis
vitae consecratae et Societatibus vitae
apostolicae)

Recepto recursu hierarchico Rev.di X,
Congregatio pro Institutis vitae conse-
cratae et Societatibus vitae apostolicae
huic Signaturae Apostolicae dubium
proponendum censuit ac proposuit de
sua competentia in re.

Transmissis actis causae apud idem Di-
casterium usque adhuc prostantibus iis-
que ab H.S.T. rimatis,

SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Viso praescripto art. 137, § 2 Ordina-
tionis generalis Romanae Curiae, quo
Curiae Romanae Dicasteria, recursum
quemdam hierarchicum pertractantia,
Signaturae Apostolicae dubia deferre
possunt de eorundem Dicasteriorum
competentia deque recta recursus pro-
positione;

Animadverso quod solutionem dubii de
competentia, uti par est, Dicasteria Ro-
manae Curiae ab H.S.T. exquirunt sive
ad rectam administrationem fovendam

sive ad recursus contentiosos admini-
strativos quantum fieri potest praeca-
vendos, atque quod examen dubii pro-
positi, attenta eius natura praeliminari,
actis hucusque exhibitis nititur;

Pro comperto habito quod decreta a Rev.
do X, impugnata ad fines in relationibus
cum aetate minoribus ab eodem non ser-
vatos tantum attinent, quin ullo modo
de delictis, de actione poenali, de accu-
sationibus poenalibus, de investigatione
poenali praevia vel de notitia saltem ve-
risimili de delicto in iisdem fiat sermo;

Visis artt. 13, 14, 52 necnon 108, § 1 Const.
Apost. *Pastor bonus*;

Auditio Rev.mo Promotore Iustitiae;

Vi art. 121 Const. Apost. *Pastor bonus*,
art. 32 *Legis propriae* huius Supremi Tri-
bunalis necnon art. 137, § 2 Ordinationis
generalis Romanae Curiae,

Dubio a Congregatione pro Institutis
vitae consecratae et Societatibus vitae
apostolicae proposito respondendum
esse ac respondere decrevit:

Affirmative, seu ex actis quae hucusque
prostant ad Congregationem pro Insti-
tutis vitae consecratae et Societatibus
vitae apostolicae competentiam specta-
re in recursu hierarchico de qua supra
pertractando.

Et notificetur.

Datum Romae, e Sede Supremi Signa-
turae Apostolicae Tribunalis die 5 martii
2014.

✠ Franciscus Daneels, o.praem.
Secretarius

Iosephus Ferdinandus Mejía Yáñez, m.g.
Moderator Cancellariae